

Češka, Josef

**Jaroslao Ludvíkovský octogenario a philologis classicis Bohemoslovacis
epistola gratulatoria**

In: *Classica atque mediaevalia Jaroslao Ludvíkovský octogenario oblata.*
Češka, Josef (editor). Vyd. 1. Brno: Universita J.E. Purkyně, 1975, pp. 9-11

Stable URL (handle): <https://hdl.handle.net/11222.digilib/121162>

Access Date: 21. 02. 2024

Version: 20220831

Terms of use: Digital Library of the Faculty of Arts, Masaryk University provides access to digitized documents strictly for personal use, unless otherwise specified.

Philologi classici Bohemoslovaci gratulatum venientes

clarissimo ac doctissimo viro

Jaroslao Ludvíkovský

professori Universitatis Purkynianae Brunensis emerito
prid. Non. Iun. a. MCMLXXV

octogenario

sal. pl.

Nescimus, utrum casui an forti fortunae id attribuendum sit, quod Tu, magister ac sodalis noster semper amicissime, eodem anno in lucem editus es, quo spatium bis decem saeculorum completum erat post diem natalem Ciceronis, cuius tres libros De officiis in Bohemicum olim elegantissime vertisti et cuius consiliis sapientibus semper utebaris. Nam ingenii magnitudine et praeclara eruditione doctrinaque ornatus modum vivendi, quem ad naturae Tuae genus contuleras, constanter tuebaris, numquam a recta virtutis via declinans — Tu, qui iustitiam, fidem, liberalitatem, modestiam temperantiamque optime praestabas. Ad vanum et irritum ergo non redactum est, si ab ipsa iam pueritia ad humanitatem animum Tuum informabas, totus litterarum Graecarum et Latinarum studiis deditus, ac si M. Tullium Ciceronem adeo adamavisti, ut orationibus quoque nec non scriptis eius rhetoricis ac philosophicis ad usum scholarum edendis explanandisque saepissime operam dares. Ceterum philosophi antiqui omnes gratiam apud Te sibi pepererunt, ut Anaxagoras, Plato, Epictetus, Lucianus, praecipueque autem Epicurus, cuius ethicae integrae non solum sectator factus es probissimus, sed translationibus Tuis Bohemicis etiam propagator.

Morum Tuorum rationi nihil magis quam infensa quaelibet aemulatio aliena est neque ullum despiciebas umquam. Idcirco et populi delectationes mente Tua comprehendere didicisti, praesertim cum litteras parum in scholis ad legendum commendatas investigares, quarum amore mens plebis antiquae commoveri solebat. Nam librum — post quinquaginta annos hodie quoque summis laudibus elatum — de fabulis Graecis amatoris casuumque mirificorum ac periculorum plenis scripsisti, causam, cur numquam oblivione obrutae essent, recte cognoscens atque illustrans.

Cur autem themata ex historia Bohemorum Tibi ad studendum elegisses, in stirpe Tua populari haerere potuit et in regione, quam Otava flumen perfluit, monumentis veteribus abundante, nisi Venceslai illius Piscensis, qui urbem, ubi adolevisti, nomine suo nobilitaverat, exemplum satis apud Te valuisset.

Cum autem patriae amor Tuus cum humanitate claustra omnia inter nationes rumpente conecteretur, auctores duo inter Bohemos medii recentiorisque aevi maxime

florentes operibus suis Te allegerunt, Josephus Dobrovský et Comenius, quorum alter studiorum Slavicorum fuit conditor, alter pansophiae cultor, cuius fama per omnes terras propagata est. Itaque Josephi Dobrovský humanitatem classicam diligentissime examinavisti neque Comenii praecepta philosophica mediocriter observabas, sed ne tale quidem problema, quomodo in Miroslai Tyrš institutis gymniciis politicisque antiquitas Graeco-Romana revixisset, neglectum Te reliquisse constat, quippe qui optima temporum praeteritorum exempla praesentiae nostrae utilia peritissime scias requirere atque aestimare.

Longum profecto est Tuas enumerare commentationes de Johanne Noviforensi, Georgio Tranoscio, Bohuslao Balbino aliisque, qui inter Bohemos Latine scribentes olim eminebant, sed nemo doctus id nobis ignosceret, si curas Tuas nominatim laudare nollemus, quas ad res in Magna Moravia gestas et ad Bohemiae christianae origines perscrutandas contulisti. Imprimis autem „Vitam et passionem sancti Venceslai et sanctae Ludmilae aviae eius“ tamdiu examinabas methodis philologicis usus omnibus — ne analysi quidem clausularum rhythmicarum omissa —, quoad per lucide demonstravisti hanc legendam saeculo X compositam esse.

Ipsa modestissime se semper gerens coaequales Tuos saepe laudibus efferebas, vel mortuos vel vitae suae spatia longiora complentes, et licet ipse negotiis propriis oneratus raro quemquam re infecta a Te discedere passus es, qui ad Te venire assuevit precaturus, ut textum Bohemicis verbis conceptum Latine exprimeres. Qua re magnam gratiam adeptus beneficiis Tuis plurimos habes obligatos, nam — quod meritum Tuorum non est minimum — etiam discipulos innumeros ad Te semper alliciebas, Te audire et omnia, quae scripsisti, legere cupientes.

Vita Tua cum quinque locis maxime coniuncta est. Nam in vico Střelské Hoštice (prope oppidum Horažďovice) natus pueritiam et iuventutem Tuam in urbe Pisca (Písek) peregisti, ubi scholam communem frequentabas et gymnasium. Praegae Universitas Carolina praeclaram Tibi praebuit eruditionem et numero hominum doctissimorum Te inseruit professoremque recens nominatum Bratislavam a. 1928 Universitati Comenianae subventurum misit, cuius facultati philosophicae a. 1937/38 immo vero praefuisti, decani spectabilis ornatus dignitate. Postremo autem Bruna a. 1939 Te adhibuit, ut Universitas eius Purkyniana claritatem Tuam in perpetuum sibi vindicaret.

At non solum Brunae, cui ad diem hodiernum — octavo iam lustro progrediente — fidem continenter praestas, sed per totam fere Rem publicam socialisticam Bohemoslovacam, quocumque venis, multos habes amicos, Tibi semper devotissimos praesentiaque Tua valde laetantes. Nam humanitate Tua singulari doctrinarumque copia omnes Tibi concilias, et quoniam nomine tantum in otium Te contulisti — re vera enim quieti se dare non didicit animus Tuus, Musis deditus ac litterarum studiis —, Academia scientiarum Bohemoslovaca munerum suorum participem adhuc Te facit discipulique Tui in universitatibus nunc docentes saepe Te consulere solent, meritum Tuorum numquam oblituri omnesque corde imo confisi Parcas vitae Tuae plura iam peractis lustra praedestinavisse.

Per multos igitur annos futuros optime vale, vir doctissime carissimeque nobis,
ut Tu ex nostra erga Te pietate et nos ex animi Tui vigore diu etiam voluptatem
capiamus.

Amici, sodales, discipuli
studiis classicis ac mediaevalibus incumbentes
Pragae et Bratislavae et Brunae,
e quibus J. Češka Brunensis auctor est
huius epistolae gratulatoriae

